



**R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In
Collegio Romano eiusdem Societ. olim Theologiæ
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Disputaciones
Scholasticæ, Et Morales, De Sacramentis in ...**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1652

2. Explicatur unio corporis & Sanguinis Christi cum speciebus
Sacramentalibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82340)

cum omnibus, & singulis corporis gloriosi, & ideo non posset moueri localiter, quin aliqua pars ipsius inciperet de nouo penetrari cum aliqua parte corporis gloriosi. In speciebus autem nulla est pars eorum, quæ non esset prius penetrata cum omnibus, & singulis partibus corporis Christi; ergo per motum non inciperet penetrari aliter ac antea; atque ideo ex hoc capite non essent alligatæ ad non mouendum se absque corpore Christi propter nouam penetrationem vitandam.

14.
Instantia.

Respondet.

Dices, licet species non penetrarentur de nouo cum noua parte corporis Christi, penetrarentur tamen diuerso modo; scilicet hæc pars dextra, v.g. specierum in sinistra parte spatij, cum antea hæc pars specierum penetrata esset in parte dextra spatij. Sed contra; quia penetrari postea cum eodem corpore in alia noua parte spatij non debet reddere impossibilem motum specierum; nam quando species mouentur simul cum corpore Christi, sicut incipiunt esse in nouo spatio, sic etiam incipiunt penetrari cum Christi corpore in nouo spatio, in quo antea non penetrabantur; & tamen quia penetratio fit eiusdem cum eodem, potest fieri per se absque nouo miraculo; ergo posset etiam fieri immoto Christi corpore, cum penetratio etiam esset eiusdem cum eodem, licet esset in ordine ad diuersum spatium.

15.
Tertium quod magis displicet.

Vnde tertio magis displicet id, quod addit de Angelo, cum semel corpori penetratum posse postea resistere nouæ penetrationi, & tunc corpus non posse amplius se mouere, nisi trahendo simul secum Angelum, quia non potest se denuo aliter cum Angelo penetrare, prout fieret, si absque Angelo se moueret. Hoc, inquam, non parum videtur à communi, & vera Philosophia deficere: nam in primis penetratio Angeli cum corpore nullo modo impedit motum corporis; sicut nec Angelus existens prius in aliquo spatio impedit corpus, ne ponatur in illo spatio: hoc enim est proprium corporum, vt sese mutuo expellant ab eodem spatio, non spirituum inter se, aut cum corporibus. Potest quidem Angelus impellere, vel tenere corpus, ne moueatur, an progrediatur ulterius; quod quidem præstat Angelus per vim actiuam, seu impulsiuam; non vero potest per resistantiam, seu impossibilitatem cum corpore impediri formaliter, ne sit in spatio, in quo est Angelus, quia nulla est talis impossibilitas Angeli cum corpore in eodem spatio.

16.

Deinde, etiam si esset eiusmodi impossibilitas, & impenetrabilitas, Angelo tamen semel penetrato cum corpore, posset corpus mouere propria virtute, & separari ab Angelo; quia per hoc nulla fieret penetratio diuersa ab ea, quæ erat prius, vt supra dicebamus de speciebus panis cum corpore Christi; nam per illum motum non inciperet aliqua pars corporis penetrari cum Angelo, cum omnes, & singulæ partes corporis fuissent iam prius penetratæ cum toto Angelo; quod autem aliqua pars penetraretur de nouo in alio spatio nouo, non obstat motui, vt ostendimus in simili in speciebus, & corpore Christi.

17.
Vltimum quod ponitur resistit.

Denique displicet id, quod additur, quod posset corpus sic penetratum trahere secum Angelum non resistantem motui; nam licet Angelus habeat virtutem ad mouenda corpora, communiter tamen negatur corporibus virtus naturalis mouendi localiter Angelos; imo Vasquez non capit, quomodo vnus Angelus possit alium localiter mouere; parum itaque refert, quod Angelus non resistat, si tamen corpus non habet virtutem ad illum mouendum; porro corpus non habere talem virtutem, non solum probari potest ex improportione ipsius ad

motum illum spirituale, sed etiam quia, si aliquid corpus diuinitus ponatur penetrabile, non poterit ab alio corpore localiter moueri; nam quoties tangeret illud, & impelleret, penetraretur ab illo, & nihil efficeret; de facto vero mouetur vnus corpus ab alio propter impenetrabilitatem, quatenus expellitur ab alio corpore conante se in eo spatio constituere: in Angelo autem cessare hæc ratio, quia quodlibet corpus absque difficultate penetraretur cum ipso; non ergo posset à corpore localiter moueri. Potest fortasse de facto corpus humanum, quando ab aliquo mouetur, trahere secum animam spiritualem: hoc tamen prouenit ratione vnionis physice, cuius effectus est, vt vnus extremum comitetur aliud; & ideo debetur corpori vnito formæ spirituali virtus trahendi secum illam formam: vbi tamen talis vnio non intercedit, non apparet, vnde corpus posset habere vires naturales ad mouendum localiter Angelum.

Denique totus ille modus colligationis, licet sufficeret ad colligandum corpus Christi cum speciebus in ordine ad motum, vt motis speciebus, moueretur etiam corpus Christi; non tamen videtur sufficiens, vt corpus Christi diceretur subsistere speciebus loco panis, quod tamen necessarium videtur ad hoc, vt possit per illa accidentia demonstrari, & vt dicatur vere comedi, sumptis speciebus: alia ergo maior vnio ponenda est inter corpus Christi, & species, quam iam oportet explicare.

SECTIO II.

Explicatur vnio corporis, & sanguinis Christi cum speciebus sacramentalibus.

EXistimo hanc continentiam corporis Christi sub speciebus consistere in primis in actione quadam, qua corpus Christi per potentiam obedientialem actiuam vt instrumentum eleuatum conseruat accidentia panis, supplendo concursum, & sustentationem panis non in eodem genere causæ, sed in genere causæ efficientis: per hanc enim causalitatem dicitur corpus Christi subsistere illis accidentibus; subsistere, inquam, hoc est, exercere circa illa munus potissimum substantiæ; quia cum præcipuum munus substantiæ respectu accidentium sit illa sustentare, merito dicitur corpus Christi subsistere illis accidentibus, quæ loco panis sustentant in genere causæ efficientis. Ex quo sequitur, posse designari corpus Christi per accidentia illi verbis: *Hoc est corpus meum*; quasi dicas, corpus Christi est substantia, cuius sunt hæc accidentia, cuius scilicet sunt substantis, & sustentantis loco panis, licet in alio genere causæ.

Contra hunc tamen dicendi modum est difficultas; quia licet sustentatio in genere causæ materialis sufficiat, vt subiectum dicatur subsistere, & contineri sub illis accidentibus, non tamen sustentatio in genere causæ efficientis, quia hæc causalitas non determinat ad præsentiam intimam causæ cum effectu; ergo ex vi illius causalitatis non dicitur esse corpus Christi sub speciebus. Antecedens patet; quia causa efficiens in primis potest operari distans ab effectu, præsertim si operetur vt instrumentum diuinitus eleuatum; deinde licet non posset prodire illa actio nisi à corpore Christi præsentem, non tamen alligatur illud speciebus inseparabiliter; nam licet ignis debeat esse præsens ad calefaciendum lignum, non tamen alligatur ligno ex vi illius actionis, cum tam facile possit separari à ligno; ac si non ageretur, ergo illa actio Christi in species non sufficit, vt dicatur contineri sub speciebus, & alligari illis.

Posset

21. Posset aliquis excogitare, illam actionem solum esse adæquate rationem huius continentia Christi sub speciebus: eo quod illa actio sapiat naturam causalitatis materialis, quam supplet; quare sicut causalitas materialis alligat subiectum accidentibus, ita ut nec subiectum possit non esse intime præsens ad sustentandam formam, nec etiam possit separari relicta forma; quia forma sustentata habet eo ipso vim naturalem, & ius ad trahendum secum suum subiectum, quocumque deferatur localiter: sic etiam illa actio Christi in species, non videtur esse posse, nisi à corpore Christi intime præsentis, & aliunde ad illam actionem consequitur in speciebus vis quædam & ius naturale ad trahendum secum corpus Christi, quando mouentur: alioquin non haberent accidentia à corpore Christi tam perfecte suum esse, sicut à substantia panis, cum ex vi illius actionis non haberent securitatem non admittendi suum esse ex defectu præsentia causa sustentantis; ergo ut corpus Christi dicatur per illam actionem subicitate speciebus loco panis, dicendum est, ex illa actione nasci hanc necessitatem intimæ præsentia sub illis.

22. Sed vera hæc doctrina non est vndequeque solida: nam licet daremus, ex illa actione oriri ius sustententur, adhuc tamen non probatur debere illud trahere præsentiam intimam sub speciebus, cum enim solum sustententur accidentia efficienter à corpore Christi, non requirunt aliam præsentiam causam, quam eam, quæ requiritur ad agendum; hæc autem non est præsentia intima totius agentis, sed approximatō per contactum; quare cum aliunde corpus Christi sit quantum, & ex natura rei non possint eius partes inuicem penetrari, non videtur, quod accidentia panis ex vi illius causalitatis habeant ius ad trahendum secum corpus Christi, ita ut existat indivisibiliter sub singulis partibus specierum, sed ad summum ad trahendum corpus Christi iuxta se, ut sustentent efficienter accidentia. Quod si causalitas materialis exigit præsentiam intimam, & non solum approximationem causæ, hoc quidem provenit ex eo, quod subiectum non potest sustentare formam, quin physice vniatur cum forma; vniō autem subiecti, & formæ, non potest esse sine intima præsentia vtriusque; at vero, cum hæc vniō informationis non reperitur respectu corporis Christi, non est, cur ex vi illius causalitatis requiratur intima præsentia; quia licet corpus Christi suppleat causalitatem materialem in species, hoc tamen est, ablatis imperfectionibus propriis causæ materialis, qualis est vniō, & quæ consequuntur ad vniōnem.

23. Dices, non videtur posse negari, quod sit possibilis actio aliqua corporis Christi in species, quæ ex propria sua natura haberet vtrumque, scilicet supplet concursum subiecti, & dare ius speciebus ad trahendum secum corpus Christi, & ad trahendum illud ad præsentiam intimam. Si autem possibilis est talis actio, non est cur negemus, positam esse de facto, & per illam intelligi corpus Christi vnitum speciebus, non quidem stricte & cum omni rigore, sed quantum fieri potuit absque imperfectionibus stricte vniōnis.

24. Respondeo in primis, si possibilis est eiusmodi actio, negari non potest, quod esset valde supernaturalis; haberet enim aliqua prædicata multum disparata in ordine ad finem actionis; nam actio ut actio solum ordinatur ad bonum sui termini, cui communicatur esse per illam: ad hoc autem licet posset habere illud prius de exigenda præsentia corporis Christi, & danda virtute speciebus trahendi

secum corpus Christi, ad securitatem sui esse, ut dicebamus, non tamen apparet, cur actio exigeret corpus Christi intimum, cum æqui bene posset obtinere suum finem per approximationem immediatam corporis Christi, sicut per intimam præsentiam. Quamuis enim corpus Christi existat ibi ad modum Angeli, & indivisibiliter, Angelus tamen ad operandum in passum materiale non indiget peneratione intima cum toto passu, sed potest agere, si sit proximus passu, vel certe intus saltem eius parti; sic ergo posset etiam corpus Christi agere, & influere in totas species absque intima præsentia cum totis illis; & per consequens non videtur posse illam intimam præsentiam exigi ab actione, ut actio est, cum ad finem actionis parum referat.

Deinde, etiam posita tali actione, non sufficeret ipsa sola, ut species traherent secum de facto corpus Christi, sed ad hoc exequendum necessaria esset aliqua alia virtus intrinseca vel extrinseca, quæ species illud facerent. Posset quidem illa actio id exigere, & quasi dare illud ius speciebus, ut deberetur illis talis virtus ad trahendum corpus Christi: ipsa tamen actio non esset principium immediatum productuum illius motus in Christi corpore; quia actio non est virtus operativa, sed productio actualis sui termini. Si ergo præter illam actionem ponenda esset adhuc alia virtus ad trahendum corpus Christi, frustra ponitur actio cum illo prædicato intrinseco diuerso: nam posita actione qualibet corporis Christi in species, & posita illa alia virtute in speciebus ad trahendum, & retinendum secum intime corpus Christi, intelligitur eadem allegatio. Cum ergo aliunde esset valde miraculosa, & difficilis actio, quæ de se haberet illud prædicatum intrinsecum, ut vidimus; non est, cur ponamus eam de facto, licet esset possibilis; sed alio facilioti modo explicemus illam alligationem.

Dicendum ergo videtur, hoc, quod est corpus Christi, substare illis accidentibus, seu contineri sub illis, duo includere, quorum vnum sine altero non sufficit. Primum, & potissimum est illa actio corporis Christi in species, per quam exercet munus substantia respectu earum. Secundum vero est alligatio ad species, seu insolubilitas intimæ præsentia, quæ quidem alligatio non est illa actio, neque oritur ex illa actione, ut probatum est, sed ex vi quædam diuinitus data speciebus ad trahendum secum intime corpus Christi, quocumque ferantur. Nec per hoc convenimus cum sententia Scoti; quia ipse totam hanc continentiam corporis Christi sub speciebus reducebat ad inseparabilitatem ex pacto Diuino sine aliquo alio; nos autem ponimus duo, scilicet causalitatem corporis Christi in species, per quam exercet munus substantia respectu earum; & intimam præsentiam prouenientem ex vi ipsatum specierum ad trahendum secum corpus Christi; quæ sufficient, ut dicatur corpus Christi esse substantia horum accidentium.

Hinc infero, hanc continentiam corporis Christi sub speciebus non esse propriam vniōnem cum illis simpliciter, & absolute, sed secundum quid; quare melius appellatur vniō causalitatis, licet neque sit adæquate vniō causalitatis, ut vidimus; nam causalitas sola non affert secum alligationem vtriusque extremi. Infero etiam, hanc vniōnem esse intrinsecam speciebus, non ipsi corpori Christi; nam actio Christi in species est intrinseca speciebus, sicut omnis actio est in termino, ut suppono ex Philosophia: deinde quatenus hæc vniō includit intimam alligationem corporis Christi sub speciebus, est etiam intrinseca speciebus, ut postea constabit.

25. Neque hoc sufficeret ut species traherent de facto ipsum corpus Christi.

26. Dico ergo continet hanc continentiam, primum est illa actio, secundum allegatio cum speciebus orta, ex vi quædam diuinitus data ad trahendum secum corpus Christi.

27. Hæc continentia non est propria vniō.



28. *Obijciatur primo.*

Obijciens primo; Sacerdos per verba consecrationis facit, quod corpus Christi contineatur sub speciebus panis; sed Sacerdos non efficit, quod corpus Christi sustentet species panis efficienter; ergo illa efficientia corporis Christi in accidentia non constituit formaliter hanc continentiam. Minor probatur, quia illa efficientia corporis Christi in accidentia est actio solius Christi, & non Sacerdotis. Sacerdos enim non conservat accidentia efficienter; sed ad actionem non terminatur alia actio; ergo Sacerdos per suam actionem non facit efficientiam corporis Christi in accidentia. Respondeo vno verbo, Sacerdorem non operari physice, sed moraliter continentiam corporis Christi sub speciebus; quare illam etiam efficientiam corporis Christi in accidentia operatur Sacerdos per verba moraliter; nam vnam actionem physicam vnus agentis potest aliud agens operari moraliter, quatenus est causa moralis, quod aliud agens physice operetur.

29. *Obijciatur secundo.*

Obijciens secundo, quia corpus Christi conservat efficienter accidentia panis, vt diximus; ergo corpus Christi non potest accipere vocationem, seu presentiam efficienter ab ipsis speciebus. Probatur consequentia, quia in quolibet instanti species, vt producat vocationem Christi, præsupponuntur cum suo esse accepto efficienter à corpore Christi; ergo præsupponitur iam in aliquo priori corpus Christi præsens speciebus; non enim potest conservare species, nisi præsupponatur præsens; ergo antequam accipiat vocationem à speciebus, supponitur iam pro illo instanti cum vocatione, & presentia.

30. *Respondeo esse eandem difficultatem in corpore naturali.*

Respondeo, hoc argumentum habere eandem difficultatem in composito naturali; nam anima equi, v.g. est principium motus progressivi, quo movetur totus equus, tam quoad materiam, quam quoad formam; ergo anima equi est principium mediatum, vel immediatum illius presentia, quam accipit tunc materia equi. Tunc sic argumentor: Priusquam forma equi producat illam presentiam, præsupponitur existens, & per consequens dependens à materia equi vt à causa; ergo pro illo priori intelligitur iam materia equi præsens ad causandam formam; ergo antequam accipiat illam presentiam, intelligitur in illo instanti pro aliquo priori cum sua presentia. Respondetur ergo, quod licet corpus Christi intelligatur prius dans esse speciebus etiam pro illo instanti; non tamen intelligitur in illo priori cum presentia, seu vocatione positiva formali; sicut nec anima equi, aut materia intelliguntur pro illo priori ante vocationem cum vocatione. Ratio est, quia licet ad alios effectus debeat præintelligi causa cum sua presentia, seu vocatione; ad ipsam tamen vocationem non potest præintelligi cum alia vocatione, ne detur processus in infinitum. Ex quo fit, quod nec ad ea omnia, quæ antecedunt vocationem, possit præintelligi causa cum vocatione; quare cum species sunt causa vocationis corporis Christi, non potest intelligi corpus Christi antecedenter ad species cum vocatione, sed solum intelligitur pro illo priori cum indistantia ad summum radicalem; hoc est, intelligitur cum debito radicali habendi presentiam positivam ad species pro posteriori; sicut materia equi in illo priori ante vocationem intelligitur cum debito habendi presentiam positivam ad animam ratione vnionis substantiali, quæ iam præsupponitur pro illo priori; & hac ratione vicatur mutua prioritas, quæ videbatur sequi ex nostra sententia.

31. *Obijciatur tertio.*

Obijci potest tertio, quia species præcedunt, vt dispositiones ad hoc, quod est corpus Christi esse sub illis, tam in primo fieri consecrationis, quam in

conservari; ex quo fit, vt cum primum species corrumpuntur, desinat esse corpus Christi sub illis; ergo corpus Christi non est causa physice influens in species. Probatur consequentia, quia pro quouis instanti intelligitur prius, species non esse corruptas quam corpus Christi vniri eis; ergo hæc vnio non potest esse causalitatis; nam effectus non intelligitur pro aliquo priori ante causalitatem, per quam procedit. Respondetur, pro illo priori ante causalitatem Christi in species, non debere intelligi species existentes, sed sufficere quod intelligatur, non esse positivas dispositiones contrarias; nam eo ipso, quod species existerint immediate ante, & quod nunc non detur dispositio contraria, datur totum quod requiritur, vt corpus Christi conservet accidentia panis; imo nec hoc totum prærequiritur, sed sufficit, quod non sit applicatum agens ad producendam dispositionem contrariam; de quo dicemus infra disputat. 10. sect. 2.

Obijciens quarto; ergo corpus Christi non movetur localiter à sacerdote, nec per se, nec etiam per accidens. Sequela quoad primam partem, patet, quoad secundam vero probatur, quia tunc dicitur aliquid moveri per accidens ab aliquo, quando illud, quod movetur per se, vnitur cum alio, & per consequens trahit secum illud: sed corpus Christi non vnitur cum speciebus; ergo Sacerdos movens species non movet corpus Christi, sed tunc Deus movet corpus Christi independentem omnino à sacerdote. Respondeo negando sequelam, nam licet corpus Christi non vnitur proprie cum speciebus; species tamen habent diuinitus vim trahendi secum corpus Christi; quare qui movet species, dicitur consequenter movere corpus Christi; quod enim vis sit naturalis, vel supernaturalis, parum refert, quoad præsens atinet.

Restat tamen explicandum, qualis sit hæc vis, quam dicimus habere species ad trahendum secum corpus Christi, an scilicet sit aliqua qualitas supernaturalis intrinseca in ipsis speciebus ad hunc finem superaddita, an vero merum decretum Dei parati ex se ad concurrendum cum speciebus, vt ferant secum corpus Christi, quocumque ipsæ species ferantur. Videtur enim hoc sufficere absque alia qualitate intrinseca; nam ex vi huius decreti dicitur sufficienter alligatum, & connexum corpus Christi, speciebus, cum non possit ex vi illius decreti non comitari species in omni loco.

Probabilius tamen videtur, & aptius ad hoc mysterium explicandum, si ponatur in ipsis speciebus qualitas illa supernaturalis intrinseca, qua possunt trahere secum corpus Christi, sicut magnes trahit per naturalem virtutem secum ferrum; primo, quia hoc modo inuenitur iam aliquid plus de vnione physica inter corpus Christi, & species; nam illa qualitas intrinseca licet non sit vera, & rigorosa vnio, habet tamen non parum de vnione, cum sit nexus physicus, & vinculum in actu primo colligans corpus Christi, ita vt non possit non sequi species; per quod vinculum videtur explicari natura vnionis physica; debemus autem, ablatis imperfectionibus, vt dixi, & receptione specierum in Christi corpore, ponere vnionem, & colligationem, quantum fieri poterit, vt cum maiori proportione succedat corpus Christi substantia panis in eodem munere substandi accidentibus. Dixi tamen, hanc non esse adhuc propriam, & in rigore vnionem physicam; quia de ratione veræ, & propriæ vnionis est ita colligari, vt dixi, vtrumque extremum, vt quamdiu vnio durat, debeat poni vnum extremum, vbi cumque ponitur alterum: illa autem qualitas superaddita speciebus

speciebus, licet det illis trahendi secum corpus Christi, non tamen exigit, poni species, vbi cumque ponitur corpus Christi; hoc enim ponitur in aliis hostiis absque his speciebus, sub quibus est in hac hostia; non ergo est proprie vnio illa, sed tamen accedit non parum ad rationem, & proprietatem vnionis.

35. Probatur se- cundo hac qua- litate ex mai- ri connaturali- tate.

Alioquin qui mouet species non diceretur proprie moue- re corpus Christi.

36. Instantia.

37. Obicitur pri- mo.

38. Respondetur.

Secundo videtur ponenda ea qualitas supernatu- ralis in speciebus; quia quoties aliqua causa eleuat ad effectum supernaturalem producendum per potentiam obedientialem, videtur connaturalius, quod ipsa in se fiat proportionata intrinsece in ordi- ne ad eum effectum: ideo enim intellectus, & volun- tas, vt connaturalius eliciant actus fidei, vel spei etiam in peccatore, eleuantur per habitus intrinse- eos fidei, & spei; quia hic modus operandi per virtu- tem intrinsecam, est magis connaturalis, quam si solum eleuentur per auxilium extrinsecum; eo quod effectus ipse de se exigit procedere magis a causa sibi proportionata, quam ab improporionata; de quo dixi alibi in tractatu de Visione beata. Si ergo species eleuantur ad producendum in corpore Chri- sti, quod secum trahant vbi supernaturale sacramen- tale; expedit, eas eleuari prius per aliquam virtutem intrinsecam supernaturalem, per quam producant effectum illum sibi improporionatum. Porro spe- cies ipsas concurrere ad trahendum corpus Christi, & non solum Deum id facere, quando mouentur species; probatur, quia alioquin non diceretur pro- prie mouere corpus Christi ille qui mouet species; & per consequens nec diceretur comedere, aut de- glutire corpus Christi, quæ actiones significant motum localem; nunc autem dicitur vere mouere cor- pus Christi sacerdos mouens species; quia mouet species, quæ mouent corpus Christi, & per conse- quens mouet per accidens illud, quod non esset ita proprie verum, si solus Deus ex sua voluntate id fa- ceret, & moueret Corpus Christi, quando mouen- tur species; sicut nec diceret ego mouere lignum, eo quod moueam librum, quo motu, Petrus libere mou- uet etiam lignum; nec dicitur dare alapam, qui con- sultit dare alapam. Melius ergo declaratur hoc mys- terium, si ponamus talem qualitatem & vim in spe- ciebus; quia ipsæ trahant secum corpus Christi, quo- cumque ferantur.

Dices, si in speciebus ponitur qualitas intrinseca, qua eleuentur ad producendam præsentiam corpo- ris Christi, ergo etiam in ipso corpore Christi debet poni alia qualitas intrinseca, qua eleuetur ad conser- uandas efficienter ipsa species. Nego sequelam; quia species conseruantur à corpore Christi per concur- sum creatiuum, ad quam actionem non potest dari qualitas aliqua, quæ ex sua natura habeat vires, & proportionem; quia nulla causa creata potest per suam virtutem create, vt suppono ex Philosophia; quare illa actio procedit à potentia obedientiali actiua corporis Christi absque vlla qualitate super- addita.

Contra hunc modum dicendi olim à me explicata opponuntur aliqua à Recentioribus. Primo opponunt; quod si hæc vis est in speciebus, sicut in magne ad trahendum ferrum, sequitur, non esse vim ad ponendum corpus Christi in eodem spatio intimo, vbi sunt species; nam magnes non trahit ferrum, ita vt ponat illud in eodem spatio, in quo est ipse magnes, sed in spatio proximo. Respondetur, nos non vt illo exemplo magnetis tanquam simili in omnibus, sed solum ad hoc, quod sicut magnes habet vim naturalem intrinsecam ad trahendum ferrum, & retinendum illud in spatio proximo; sic species consecratae habent vim intrinsecam super-

naturalem ad trahendum corpus Christi, & retinen- dum illud in eodem spatio, in quo sunt ipsæ species.

Secundo obiiciunt, quia corpus Christi succedit substantiæ panis, atque adeo debet se habere circa species, sicut substantia panis se habebat circa illas; sed in accidentibus non erat talis virtus motiua ad trahendam secum substantiam panis; ergo nec po- nenda est hæc virtus superaddita, vt trahant secum corpus Christi. Respondetur, ad trahendam secum substantiam panis non fuisse necessariam in specie- bus qualitatem aliam superadditam, ad illud enim motum, vt pote ad operationem sibi connaturalem, & proportionatam, habebant sufficientem virtutem. Qualis autem, & quid esset illa virtus, non est no- strum in præsentem decernere; varij enim possunt esse modi id explicandi. Primus esse potest, si dicatur, ac- cidencia panis ab aliquo localiter mota, trahere secum substantiam panis, quatenus exigunt, quod Deus tunc moueat substantiam cum ipsis accidenti- bus. Et quidem etiam si hoc diceretur, non deberet idem dici in casu nostro in ordine ad substantiam corporis Christi; quia in ordine ad substantiam panis sufficeret vt cumque illa exigentia accidentium, ad hoc, vt qui moueret accidentia, diceretur etiam mouere mediâ substantiam panis, quatenus scilicet causat motum accidentium, ad quem sequitur ex natura rei motus substantiæ panis, quod satis esset, vt hic etiam motus tribueretur mouenti accidentia; sicut miles dicitur proicere globum plumbeum, li- cet hic motus globi fiat ab igne; quia nimirum miles fecit primum motum, ad quem connaturaliter sequuntur reliqui omnes. At vero in casu nostro, cum motus corporis Christi non sequatur ex natu- ra rei, sed solum ex libera Dei voluntate motum specierum, non esset similis ratio, vt diceretur mouere corpus Christi ille, qui moueret species Sacra- mentales. Sed neque respectu substantiæ panis vide- tur satis philosophicus ille modus explicandi; nam quoties inuenire possumus causam secundam pro- portionatam ad has operationes naturales, quas ex- perimur, non debemus tribuere illas soli causæ pri- mæ: cum ergo possumus motum substantiæ reduce- re in ipsa accidentia, quæ ex natura sua habent vir- tutem connaturalem ad trahendam secum substan- tiam sibi vnitam, magis rationabiliter tribuetur illis hæc efficientia, quam soli causæ primæ.

Secundo posset dici, virtutem hanc mouendi sub- stantiam panis esse ipsam vnionem, quam habet cum suis accidentibus; sicut enim ipsa vnio est ne- xus, & vinculum, sic est vis trahens vnium extremum cum alio, quod mouetur. Et quidem iuxta hunc mo- dum dicendi, constat clarè discrimen inter nostrum casum, & illum; nam in nostro, cum non detur alia vnio inter species, & corpus Christi, debet addi alia virtus speciebus, qua possint exercere illam motum substantiæ; quem respectu substantiæ panis exercebant per vnionem naturalem, qua illi substan- tiæ connectebantur.

Tertio denique dici potest, illum motum substan- tiæ panis non prouenire efficienter tantum à prin- cipio, ab vnione cum accidentibus, sed ab ipsismet accidentibus, quæ ad illum influxum non indigent virtute superaddita; nam ex natura sua habent vir- tutem ad trahendam secum substantiam sibi vni- tam. Si enim res vnita non haberet virtutem ad tra- hendum secum alterum extremum, quando moue- tur localiter, sequeretur quod per vnionem impedi- retur à propriis motibus, & redderetur immobilis, quia ab ipsa vnione, seu ratione illius retineretur ibi, vbi est alterum extremum: oportuit ergo ad vi- tandum hoc inconueniens, quod quidquid verè vni-

38. Obiicitur se- cundo.

Respondetur.

Primus mo- dus explican- di illam vir- tutem acci- dentium.

39. Secundu- mus mo- dus.

40. Tertius mo- dus.



tur cum alio, habeat virtutem trahendi secum illud extremum (si trahibile sit, & non sit aliquid affixum loco, qualis est ipsa vbiatio) atque adeo petat concursum ad talem motum exercendum: sic corpus eo ipso, quod vnitur cum anima rationali, videtur habere vim trahendi secum animam, quando corpus mouetur ab extrinseco: sic etiam accidentia, quando corpus mouetur, possunt trahere secum substantiam propter naturalem connexionem, & vnionem, quam habent cum illa.

41. Iuxta hunc modum facile redditur discrimen.

Iuxta hunc autem dicendi modum reddi potest etiam discriminis ratio ad species sacramentales: hæc enim cum non habeant veram vnionem physicam cum corpore Christi, vt diximus, non habent ex se vim intrinsecam ad trahendum illud secum; quare debent eam habere superadditam per aliquam qualitatem supernaturalem suppletent eam vim, quam alia accidentia habent per se ad trahendam secum substantiam sibi vnitam; præsertim cum vbiatio producenda in corpore Christi sit supernaturalis entitatiuè, atque adeo non possit produci à sola virtute naturali, quæ erat ipsis speciebus ad trahenda alia corpora: nam per illam virtutem producerent ad summum in corpore Christi vbiationem naturalem, sicut in substantia panis.

42. Obijciunt tertio.

Obijciunt tertio, si species habent qualitatem superadditam ad mouendum corpus Christi, quando ipsæ mouentur; ergo debent habere aliam qualitatem superadditam ad mouendam, & trahendam secum illammet qualitatem, quando ipsæ mouentur; nam illa etiam qualitas debet moueri ad motum specierum; ergo debet moueri ad ipsas per aliam vim motricem superadditam. Respondetur negando sequelam; primo, quia hæc qualitas est vnita vere, & proprie ipsis speciebus; quare non mitum, si species habeant ex se vim ad mouendam illam secum, quando ipsæ mouentur; quia omne extremum, vt diximus, videtur ex se exigere concursum Diuinum ad trahendum secum aliud extremum, ne sequantur illa inconuenientia supra insinuada; & licet illa qualitas sit supernaturalis, adhuc tamen ex suppositione vnionis specierum cum illa qualitate, videtur deberi talis concursus entitati specierum, qui ex suppositione erit aliquo modo connaturalis: corpus vero Christi non vnitur cum speciebus propria, & vera vnione; ideo non debetur ipsis concursus ad mouendum illud. Secundo dici potest, qualitatem illam datam ad mouendū corpus Christi, esse simul motricem sui ipsius, seu esse vim, qua species possunt mouere corpus Christi, & ipsam eandem qualitatem; est enim sicut impulsus lapidi impressus, qui est qualitas ferens lapidem sursum, & ferens simul se ipsam, seu per quam & lapis sursum tendit, & fert secum illam qualitatem; sic illa qualitas in speciebus est quasi impulsus supernaturalis, quo species trahunt secum corpus Christi, & ipsam eandem qualitatem.

Responsio.

43. Quarto obijciunt.

Quarto obijci potest; quia si speciebus superadditur qualitas ad trahendum secum corpus Christi; ergo & animæ debet superaddi alia qualitas ad trahendam secum gratiam habitualem, quando mouetur localiter, & rursum alia ad singula accidentia supernaturalia, quæ habet in se, & quæ non potest propriis naturalibus viribus mouere. Respondetur negando similiter sequelam; quia anima vnitur physice & vere cum gratia, & cum aliis accidentibus supernaturalibus, quæ habet; atque adeo ratione illius vnionis poterit, vt dixi, exigere tanquam sibi debitum concursum ad trahenda secum illa accidentia, quem concursum non exigunt species in Eucharistia, cum non vniantur proprie cum corpore Christi.

sti. Quod si aliquis contendat, animam etiam habere aliquam qualitatem superadditam ad trahendam secum gratiam, & reliqua entia supernaturalia, quæ habet, non facile impugnabitur; nec apparet in eo aliquid absurdum.

Petes, vtum hæc qualitas superaddita ponenda sit vna in sola quantitate panis, an multæ in singulis accidentibus panis; Respondeo, debere poni in eo accidenti, vel subiecto, quod à nobis impellentibus immediate mouetur, seu in quo immediate imprimitur à nobis impulsus: illud enim est, quod secum trahit alia omnia. Videtur autem conaturalius, hoc esse solam quantitatem, nec produci à nobis multos impulsus, singulos in singulis accidentibus lapidis, quando illum mouemus; alioquin magis grauitaret lapis, quando haberet plures qualitates; quia sentiremus in ipso plures impulsus. Eodem ergo modo videtur ponenda hæc qualitas in illo solo accidenti, quod in pane recipit impulsus ab intrinseco; & trahit secum substantiam panis, & reliqua eius accidentia; quod videtur esse sola quantitas, de quo dicemus latius infra disp. 10. sect. 1.

SECTIO III.

Que denominationes tribuantur corpori Christi ratione specierum: vbi, vtum corpus Christi in Eucharistia dicatur esse in loco?

Questio hæc est de modo loquendi: pendet tamen ex dictis sectione præcedenti circa vnionem corporis Christi cum speciebus; nam qualis fuerit illa vnio, talis debet esse communicatio denominationum, & prædicatorum à speciebus. Sunt ergo huiusmodi prædicata in duplici differentia; alia scilicet, quæ significant mutationem localem factam in corpore Christi; vt si dicas, corpus Christi eleuatur, defertur, quiescit, &c. alia vero, quæ significant aliud genus mutationis factæ circa species, seu aliquid prædicatum conueniens proprie speciebus, vt calefieri, frigidescere, videri, tangi, &c. de quibus omnibus possunt breuiter duæ regulæ præscribi.

Prima regula sit, prædicata prioris generis proprie tribuantur corpori Christi, quia cum corpus Christi in Eucharistia proprie, & intrinsece moueatur, licet accidens ad motum specierum, & intrinsece habeat nouam præsentiam, & distantiam, non est, cur non possit proprie ab iis formis denominari. Secunda regula sit, prædicata posterioris generis, quæ solum sunt propria specierum, non possunt nisi improprie, & figurate attribui corpori Christi, scilicet vt contento sub speciebus, quibus proprie tribuitur tale prædicatum. Sic dicimus, Christum videri, tangi, &c. quia licet sola accidentia sint obiectum terminans actum visionis, dicitur tamen corpus Christi visum mediate, id est, in suo continente; sicut qui videt bursum, dicitur videre pecuniam in ea contentam. Aduertendum tamen est, non omnia prædicata specierum attribui Christo etiam hoc modo, non enim dicitur Christus calefieri, comburi, &c. calefactis vel combustis speciebus.

Difficultas est, cur magis hæc, quam illa prædicata tribuantur Christo improprie; cur, sicut dicitur videri, non dicatur etiam calefieri? Vasquez infra disp. 193. cap. 2. ponit hanc regulam, vt prædicata, quæ tribui solent corpori ratione vestium, tribui etiam possint Christo ratione specierum, quæ sunt quasi vestis, qua Christus tegitur. Quare sicut qui tangit vestem, dicitur tangere hominem, sic, qui tangit species, tangere Christum. Verum hæc regula non videtur in vniversum vera, quia in primis qui